

## 6 RADIORUM DIVERSA Par. I.

efficit tantum, ut experimentum evadat aliquanto evidentius. Deinde prisma triangulare vitreum  $A a B b C c$  ad foramen istud applicetur, quod radios  $O F$  per se trajectos refringat versus  $P Y T Z$ , ubi videbis imaginem valde oblongam efformari, cujus nempe longitudo  $P T$  sit quadruplex latitudinis  $Y Z$  & amplius. Et hinc evinci certo videtur, quod radorum æqualiter incidentium alii majorem alii refractionem patiuntur. Nam si contrarium esset verum, prædicta solis imago appareret fere orbicularis, & in quâdam positione prismatis ad sensum orbicularis conspiceretur, id quod contra omnem experientiam est. Quocunque enim situ prisma disposui, nunquam tamen potui efficere, quin longitudo imaginis esset latitudinis plusquam quadrupla; angulo scilicet prismatis  $A C B$  vel  $a c b$  existente graduum plus minus sexaginta.

### IV. *Casus in quo radii æque refrangibiles faciunt imaginem orbicularem.*

QUOD autem datur quædam prismatis positio, in quâ imago solis ex opinione de refractionibus receptâ appareret orbicularis, sic ostendo. Juxta foramen in fenestrâ cubiculi factum, prisma collocetur foras; vel, quod eodem recidit, sit  $E G$  (fig. 3.) corpus aliquod opacum citra prisma locatum, in quo sit  $F$  foramen indefinite parvum & orbiculare,  
per